

ait Apostolus (*Jac. 1*), *auditor est verbi et non factus*, *hic assimilabitur viro consideranti vultum natitatis suae in speculo, consideravit enim se et abiit, et continuo oblitus est qualis fuerit*. Ne igitur de vobis hoc accidat, monemus vos et exhortamur in Domino, quatenus per eumdem fratrem nostrum imbre sacri eloquii irrigati, fructum vitae facere studeatis et cogitantes apud vos qualiter cum fueritis aliquando tenebrae, nunc sitis lux in Domino, quae sursum sunt sapiatis, non quae super terram, et per verum Noe ac ministros ipsius ab inundatione diluvii in arcem Ecclesiae congregati precepta Dominica et praefati fratris nostri statuta de libertate ecclesiarum vestrarum, armis non portandis et aliis ad salutem populi spectantibus firmiter observetis. Cernite pereuntia extra arcem ambitum animalia, et in ea collecti immensas gratias exsolvite collectori, et considerate apud vos benignitatem ipsius qui ut redimeret de manu inimici et de regionibus congregaret, non despexit pro vobis, cum adhuc peccatores essetis, vestiri carne, turpari cruce, multari morte. Et quoniam vos gratuita

A bonitate sua filios apostolorum et corporis sui membra constituit, in ejusdem corporis unione a fidei Catholice veritate immobiliter perdurare. Veneramini toto studio, sicut incepistis, matrem omnium fidelium sacrosanctam Romanam Ecclesiam; et qui longa terrarum intercapidine ab ea distatis devotione ac pio desiderio presentes ei semper estote. Firmum quidem habemus et indubitate quia si usque ad finem in obedientia ejus et subjectione manseritis et statuti praefati fratris nostri et doctrinam apostolicam studueritis adimplere, de terrenis ad coelestia, et de caducis ac transitoris ad aeterna semperque manentia pertinetis. Censem autem quem in argumentum vestrum devotionis beato Petro de terris vestris persolverendum annis singulis statuistis, fratribus nostris episcopis tribui faciatis, ut per eos sedi apostolicae transmittatur. Quem profecto non tam ad nostram utilitatem quam ad salutem animarum vestrarum, exigimus, dum vos internae devotionis obsequium beati Petri cupimus patrocinium obtinere.

B Datum Laterani iv Kalend. Decembris.

ANNO DOMINI MCLIV

ANSELMUS HAVELBERGENSIS EPISCOPUS

NOTITIA

(FABRIC., *Bibl. med. et inf. Lat.*, I, 114)

Anselmus, ab an. 1126 ad 1154 *Havelbergensis*, sive *Avelburgensis* episcopus, in Marchia ad Avelum, sive Havelam fluvium, sub archiepiscopo Magdeburgensi; scriptis librum *De ordine canonicorum regularium S. Augustini*, cui scilicet ipse adductus quoque fuit. Exstat in *Thesauro anecdotorum* Bernardi Pez, tom. IV, parte II, pag. 75. Ejusdem *Dialogos tres*, unum de variis Christianae relig. formis, et duos disputationum *adversus Gracos vulgavit Dacherius* tomio XIII *spicilegii*, pag. 88 (edit. novæ tom. I, pag. 161). Confer *Oudinum* tom. II, pag. 1429 seq. *Vitas ejus aliquot sanctorum*, prolixis Voluminibus, et *Epistolas* plures ad diversos Eisengreinius pag. 97 commemorat.